



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1637

De sine primæ Septimanæ & initio secundæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)

Deo reconciliatio, qui nos in gratiam recipere paratus est: iuxta illud Ieremix 3. *Vulgò dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, numquid reuertetur ad eam ultra? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.*

QVARTVS DIES.

De fine primæ Septimanæ, & initio secundæ.

FInis primæ Septimanæ est, contritio & dolor de peccatis commissis, & animæ purgatio ab iisdem: & sic pertinet ea Septimana ad viam quæ vocatur Purgatiua, sicut dicit S. Pater noster in Annot. 10. inter 20. primas. Media, quibus in illâ utimur, sunt, Examen conscientix, Confessio, Pœnitentia vel corporis castigatio, & Meditatio. Materia Meditationis est,

I. Finis

EXERCITIORVM S. IGNATII. III.

1. Finis vltimus in quem creati sumus : quæ est nostræ rectitudinis regula.

2. Finis propter quem omnes reliquæ creaturæ creatæ sunt : quæ regula est recti earum vsus.

3. Multitudo defectuum nostrorum & culparum : considerando nempe quoties ab vltimo nostro fine deuiuimus, & creaturis malè vfi sumus.

4. Motiua quæ nos excitant ad ea peccata deflenda, sumpta ex eorum turpitudine, Dei magnitudine, & nostrâ vilitate.

5. Pœnæ, & peccatorum punctiones; vt ad Dei timorem excitemur : vnde fit progressus ad considerationem mortis, iudicij & inferni. de quibus paucis huc vsque tractauimus.

Et quamuis aliquando decurrente anno, quibusdam Exercitia illa primæ Septimanæ cum otio peragere conueniat tanto tempore, quantum necessarium est ad eorum effectum consequendum, vt dicitur Annotat. 4. inter

ter 20. primas ; iis tamen qui ad perfectionem tendunt, non expedit ut multum & ordinariè se in illis exercent: timendum enim, ne quidam, nimium temporis illis Exercitiis impendentes, eò quòd sensibilem magis gustum & deuotionem in iis sibi videantur percipere, grauitèr decipiantur. Verùm quòd in istis Meditationibus quidam ad maiorem deuotionem & affectu magis sensibili excitentur, hoc contingit, quia timor & dolor faciliùs menti imprimuntur, & incipientes magis mouere solent quàm alij magis spirituales & vtilès affectus ; quos ut consequantur, necesse est se in secundâ Septimanâ exercent.

Quia verò ordinariè in aliquos semper defectus labimur, ideò assiduè necessarium est Exercitium aliquod viæ purgatiuæ: hinc quotidie examine conscientiaè utimur, tamquam breui aliquâ summâ Exercitiorum primæ Septimanæ. Quia ex quinque quibus constat Punctis, primum, quod est gratiarum actio,

actio, spectat ad vltimum finem, & ad obligationem eum quærendi, cum assidue tot beneficiis ad se nos allicere Deus non cesset. Tertium Punctum spectat ad examen quotidianorum defectuum; quartum ad motiua nos excitantia ad dolorem peccatorum, & timorem Dei, vt de iis verè dolere possimus. quæ omnia, vt diximus, ad primam Septimanam spectant. Quintum verò, quod est emendationis propositum, pars est contritionis, & spectat ad secundam Septimanam, quæ ad emendationem & profectum spirituales excitat. Quotidie itaque in examine debent renouari compunctio & boni affectus, propositaque primæ Septimanæ: in quem finem expediet ad manum habere puncta aliqua & considerationes, quas in illâ Septimanâ quisque expertus sit sibi profuisse.

Præcipuus, quem ex primâ Septimanâ colligere debemus, fructus est, intelligere quàm nobis necessarium fuerit vt à CHRISTO redimeremur:

H alio-

alioquin tota Adæ massa sententiâ
 mortis & damnationis iam erat pro-
 strata ; **Q**uam in superioribus Medi-
 tationibus peccatoribus , qui gratiam
 illam redemptionis reiiciunt , minati
 sumus.] Ita vt omnes vniuersim nati
 sumus in culpâ ; omnes etiam genera-
 tim vixissemus multis frequentibusque
 culpis obnoxij, obiecti malitiæ inuidiæ-
 que dæmonum , & post vitam hanc
 turbidam atque inquietam , morituri
 eramus , & futuri focij dæmonum in
 pœnis atque igne æterno , qui illis pa-
 ratus est. **Q**uod cum ita sit ; cum ad
 pœnitentiam invitamur , & reconcilia-
 tio nobis offertur , vitaque æterna pro-
 mittitur ; certum est , si aliquid lucis &
 iudicij humani habemus , oculos nobis
 aperiendos , vt clarè videre possimus
 vnde nobis ea gratia proueniat , & por-
 ta illa spei aperta sit : & videbimus ,
 quòd aliunde eam non habeamus
 quàm per solum IESVM CHRISTVM
 Dominum nostrum , qui pretioso suo
 Sanguine debita culpis nostris contra-
 cta

cta liberaliter soluit, & auxilium gratiæ, quo gloriam mereremur, nobis impetravit, perfectè sic officium Redemptoris explendo; & verbo magisquæ suo exemplo, quâ nobis incedendum esset, docuit, ne rursus in hostium nostrorum manus relaberemur, sic Magistri munus obiens. quod & ipse insinuat Ioan. 13. *Vos vocatis me Magister, &c.*

Tractando insuper de officio, quod Saluator noster assumpsit, Magistri, sollicitè considerandum nobis est iter quod nobis verbo & exemplo ostendit, vt non aberremus; quod ad secundam Septimanam pertinet. Quia verò Redemptor noster CHRISTVS se lucem mundi vocat, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*; ideò via illa, quam vt ipsum sequamur inimus, vocatur via lucis, vel via quæ illuminat, & idem est quod via illuminatiua. Deinde considerandum est, quòd tota Christi doctrina & exempla eò tendant, vt perfectè nouerimus Deum laudare & honorificare, ei quæ obedire, &

benè vti creaturis : & eâ de causâ quoque inter alias factus est homo; *Et cum hominibus conuersatus est.* Baruch 3. vt per se in vsu visibilium creaturarum bonum earum vsum nos doceret. Et quia, vt prouerbiū dicit, Si me restituas loco in quo erraui, errare desinam: sic ex quo Christus Saluator in hæc inferiora descendit, vsque ad exitum, clarè patet, quòd omnis hominum cæcitas & error ex cæco & indebito creaturarum amore prouenerit; omneque eius bonum & reformatio in amoris & affectus istius ab iis auocatione consistat, indifferenter se ad omnes habendo, quo ab vltimo suo fine non aberret. Et hæc est conclusio quæ ex fundamento colligitur. Docuit deinde nos, vt, quantum in nobis est, honores, diuitias lautamque tractationem fugiamus, & ad sui imitationem & exemplum, omnia contraria quæramus. Et hæc via regia S. Crucis, quam signatam, & peculiari modo in vitâ & morte suâ notatam suis Electis reliquit. Post hæc,

hæc , fines secundæ Septimanæ sunt,
Primus, Cognoscere, æstimare, & ama-
re Christum Dominum nostrum; & in
hoc eius amore, æstimatione, reueren-
tiâ & notitiâ quotidie magis proficere.

Secundus, Eum, quantum nobis id
possibile est, imitari, præcipuè in pau-
pertate, doloribus, infamiâ, & Cruce;
non tantùm in rebus imperatis aut ve-
titis eius sanctæ voluntati obtempe-
rando, quod proprium est primæ Se-
ptimanæ, nec ea tantùm quæ consilij
sunt sequendo & amplectendo, sed &
in iis quæ libera nobis relinquuntur,
quia claram super illis Dei voluntatem
non habemus, nihil, nisi quod manife-
stè ad maiorem Dei gloriam, maiusque
suæ Maiestatis obsequium futurum
sciemus, eligendo.

Media eos fines consequendi sunt,
Meditatio de Christo Domino nostro,
Regulæ & Exercitia electionum, qui-
bus addi potest examen particulare,
etsi illud commune sit omnibus qua-
tuor Septimanis.

H 3

ME-